

Tommy XIII  
Mijellmanlop Philoby.

*[Handwritten signature or initials]*

The  
Dif  
G  
I  
M  
P  
Ex  
Pe  
C  
Se  
Al  
Ex  
C  
G  
D  
C  
I  
Ex  
Te  
Po  
Ge  
Ex



IN NOMINE JESULI RECENS NATI !

FESTUM NATALITIORUM  
CUM FIDELI OMNIUM

VIVENTIUM MATRE EVA,  
EX PRIMA CONCIONE ET CONFESSIONE GE-  
NETHLIACA, GEN. IV. I. DE POSSESSIONE VIRI  
JEHOVÆ INSTITUTA,  
PHILOLOGICA HAC EXERCITATIONE

*Celebrant*

P R Æ S E S

M. JOHANNES *Deutschman*/

Facult. Philos. Adjunctus  
ET RESPONDENS

BALTHASAR BENDELIUS.

Brandenb. Marchicus.

*Die 28. Decembr. In Auditorio Minori Horis Matut.*

---

*VVitteberga, Ex Officinâ Johannis Blaken, 1654.*

FESTUM NATALITIORUM  
CUM FIDELI OMNIVM

IN PRIMA CONIONE ET CONFESSIOE  
METHUACA GEN IV DE POSSESSIONE VIRI  
PATERO... DE...  
C...  
P... R... E...  
M. JOHANNIS...  
BALTHASAR BENDIUS

BALTHASAR BENDIUS



IN NOMINE JESULI !

**S**aluberrimum Salvatoris præceptum est: *ῥευνᾶτε τὰς γρα-  
φὰς*, h. e. *Scrutāmini Scripturas*, divinum nostræ obligatio-  
nis vinculum. *Beza* equidem, *Tossanus* & *Piscator* verba Christi  
in indicativo accipiunt modo: *Vos legitis Scripturas*; sed impe-  
rativum *tum* Christi scopus, *tum* verborum sonus, *tum* ma-  
nifestus Novi Testamenti usus confirmant. In Novo enim Te-  
stamento Imperativi nudè absque pronomibus positi usurpa-  
ri consueverunt, Vid. *Matth. V. 12. c. VI. 33. I. Thess. V. 16. &c.* Verum  
igitur est Domini præceptum, non v. nudum de Judæorum di-  
ligentia in scripturis legendis testimonium. Præcipit a. diligen-  
ter inquirere & investigare Scripturam S. Et sicut Metallorum  
fossore in fodinis suis diligenter scrutantur, ut auri, argenti-  
ve venulas inveniant: ita etiam nos debemus Scripturarum fo-  
dinas explorare & scrutari, ut venam vitæ & aurum preciosissi-  
mum, Christum Jesum inveniamus. Quia vero Deus ordinis  
est amator, & omnia suo debent inservire tempori, scrutiniū  
Scripturarum itidem sit tempestivum & opportunum. Summa  
est hujus temporis solennitas, quia his diebus Deus suum nobis  
misit Filium, Filium proprium & unigenitum, ut verè jam  
habeamus & possideamus VIRUM JEHOVAM. Hunc fideles in V.  
T. summo desiderio expectarunt, & summa expectatione desi-  
derarunt. Exemplo nobis sit instar omnium *Eva*, omnium  
viventium Mater. Hæc enim cum Cainum primogenitum su-  
um in lucem edidisset, summa fiducia exclamabat: *Acquisivi  
Virum Jehovah*. Jehovah nomen ipsi nunquam tribuisset, si nu-  
dum ipsum hominem esse statuisset. Nos, ut tempori inservia-  
mus, & scripturæ scrutinium instituamus, præsens hoc Elegiū,  
ceu Nativitatis Christi testimonium, eligimus, & ex Philolo-  
gia Sacra quasdam theses de eodem adscribimus, atq; ventilati-  
oni publicæ submittimus. Adsit nostris conatibus VIR JEHO-

VA!

A 2

Ver.

*Verba Textus:*

קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה. Acquisivi Virum Dominū. Luth.

**Ich habe den Mann den HERRN.**

§. 1. Cum nullum sit Sacrarum literarum testimonium, imò nullum in iisdem vocabulum, quod non singularis sapientiæ sit vehiculum, aut divinæ veritatis instrumentum, plurima de hoc possent explicari elogio. Licet n. numerus verborum sit exiguus, sensus tamen eorum est amplissimus & copiosissimus. Hic n. ea reperiuntur notata, quæ omnem transcendunt rationis captum, & summū concernunt fidei mysterium. Hoc ut nostri non est officii multis indagare & explicare, ipsa tamen verba eorūq; genuinū sensum observare debemus. Cū igitur id presentis nostri sit instituti, non vago ausu illustrissimum hoc dictum tractabimus, sed iusta methodo illud explicabimus. Hoc dum facimus, certa nostræ tractationis capita nobis eligimus. Proponemus autem I. Dicti hujus Argumentum. II. Dicti hujus Textum. III. denique Textus hujus sensum.

§. 2. Primum igitur quod concernit, *Argumentum* hujus dicti explicabimus, cum mediante hoc facilior sit ad reliqua accessus. Argumentum a. legitimum facilius colligere non poterimus, quam ex ipsa Protoplastorum historia. Hęc n. magnam affert lucem, omnemque recenset occasionem. Creaverat n. Dominus Deus hominem de limo terræ *Gen. II. 7.* & ex costa ejus mulierem ædificaverat, eamque Adamo adduxerat *v. 22.* utrique a. bona multa ex creationis beneficio commiserat, & certum cultus divini præceptum præscriperat *v. 17.* Cum v. uterque præceptum divinum esset transgressus, uterque pariter ex præcepti rigore, comminationis prædictione, in peccatis sibi moriendum esse intellexit, quod juxta *Rhamban, Cabalistarumq;* sententiam etiam apud antiquiores Judæos non fuit negatum, teste *Reuchlin. l. 1. Cabal.*

§. 3. Hujus tantæ cladis Deus misertus, certam dedit protoplastis de generis humani reparatione promissionem *cap. III. 15.* quod *semen mulieris contriturum sit caput serpentis.* Unde *Cabal.*

*balista* in Commentariis circa librum *Jezirah* scribunt: Quod patrum praeceptores fuerint Angeli noti, videlicet praeceptor ipsius Adam Razel, qui summi Dei nutu expiationis ei viam ostendit, & divinum sermonem per allegoriam recipiendum more Cabalístico exposuit. Et licet hæc omnia Cabalisticis involucris sint vestita, & Rabbinorum inventis obscurata, ipsum tamen sinceræ veritatis fundamentum penitus non negligunt.

§. 4. Uta. eò penitus argumentum hujus dicti sistamus, Rabbinorum traditionem de hujus loci explicatione adducere placeat ex Reuchbl. l. d. p. 628, 629. Missus est Angelus Razel ad Adam collapsum & mœrore plenum, ut consolaretur eum, cui sic dixit: Ne supra modum conficiaris gemitu & molestia, quod te duce genus humanum in summam corruit perditionem. Quoniam originale hoc peccatum expiabitur. Nam ex tua propagatione nascetur Homo justus & pacificus, vir heros, cujus nomen continebit in miserationibus etiam has quatuor literas IHVH, & ille per rectam fidem & placidam oblationem mittet manum suam, & sumet de ligno vite, & eius ligni fructus erit omnium sperantium salus. Quo sermone finito, ille damnatus & arduosus Adam inter miseras omnes, in quas incidit, inter dolorem, inter luctum, quo in tanta calamitate fuerat affectus, confidens in Deum mutandi delicti spem concepit, & idcirco incredibili erga factorem suum amore actus divina clementie gratiam habuit. Hæc fuit omnium prima Cabala, primordialis salutis nuncia. Postea recenset, quomodo Adam hanc revelationem uxori suæ, culpæ consorti, narraverit, & gratitudinis loco, Deo prima sacrificia obtulerit. At Heva, pergit denique, iã futura viventium mater summotâ desperatione, tandem à viro suo cognita concepit, & peperit primogenitum. Unde ingenti & incredibili gaudio perfusa, quod putaret, ei mox Salvatorem esse natum, sic exclamat: קניתי איש את יהיה i. e. Acquisivi virum illum Quatuor literarum, quas literas ab Angelo jam pridem receperant, & acquisitum nominavit Cain. Quem ubi parentes agnoscerent præter spem prævis moribus perversum, alteram inchoarunt nativitatem & genuerunt Abel &c.

§. 5 Ex dictis non obscure colligimus, quod *tum* ex in-  
fallibili Mosis historia, *tum* ex horum quatuor priorum capitū  
συνεχέια, *tum* ex divinæ promissionis evidentia, *tum* ex sum-  
mæ necessitatis regula, *tum* ex traditione Rabbinica, argumen-  
tum hujus dicti non sit obscurum. Mater n. omnium viventium  
Eva, cum accepisset divinam, omni exceptione majorem, pro-  
missionem de semine Mulieris, de vindice seductionis & contri-  
tore serpentini capitis, ejus se factam esse participem collige-  
bat, quia se Matrem hujus seminis fore statuebat. Nullas n.  
de ultimis temporibus futuro Redemptore cogitationes con-  
cipiebat, sed præsentem vindicem atque vindictam credebat. Ex  
quibus concluditur, Veram de Messie Nativitate concionem  
in verbis Evæ reperiri.

§. 6. II. Argumento breviter demonstrato, *Textum* ipsum  
aggredimur, cujus verba, si numerum respicias, paucissima sūt:  
Hæc a. sūt Evæ verba: קנית איש את יהוה *Acquisivi Virum*  
*Jehovam seu Dominum*. De his verbis hic in genere notamus (1)  
quod sint *usitata*. Sæpius n. in Sacris literis V. T. occurrunt, ut  
non facilis sit ipsorum numerus, præsertim si tria posteriora at-  
tendamus. (2) Quod sint *secundum Grammaticorum regulas a-*  
*naloga*. Cum n. citra prægnantem causam, & citra urgentem  
necessitatem anomalorum nullus sit usus, analogiam perpetuo  
respicere debemus. Regule universales sūt, earumque status  
perpetuus, donec ipsarum vel universalitatem, vel perpetuita-  
tem, firmissima quædam instantia infringat. (3) Quod sint  
*propria, & in propria significatione explicanda*. Non n. potest nõ  
esse incongruum, posito hoc, quod propria, communis & rece-  
pta significatio locum habere queat, ad peregrinam, contortā,  
al. unde acquisitam confugere acceptiõnem, cum omnium, vel  
Theologorum vel Philologorum consensu, tamdiu literæ sit in-  
sistendum, donec *vel* contextus claritas, *vel* ipsius materiæ sub-  
jectæ absurditas, *vel* locorum primitivorum perspicuitas, *vel* fi-  
dei analogia seu conformitas, nos diversum sentire jubeant.

§. 7. His præmissis, ad specialem vocum considerationem ac-  
cingimur. Occurrit a. in textu (1) Vox קנית *Acquisivi vel Pos-*  
*sedi.*



*sed.* Est autem i. pers. sing. præ. Kal, & quidem generis Communis, unde hoc loco Evæ tribuitur. Licet a. hoc grammaticis sit perpetuum, ut prima & singularis & pluralis, non nisi in communi genere exprimat, tamen quod hanc concernit Evæ confessionem, observationem meretur, quod hunc filium verè staterit communem generis humani redemptorem, & quod ipsa, ut omnium viventium mater, eum etiam omnibus viventibus tam masculis, quam femellis acquisiverit.

S. 8. Radix ipsa est קנה quæ significat Nancisci, adipisci, acquirere, sive hoc ipsum fiat generando, ut b. l. sive emendo, idq; vel precio Gen. XXV. 10. vel frumento c. XXXVII. 22. vel alio quocumq; modo, ut Levit. XXVII. 24. In anno Jobel revertetur ager ad eum, à quo קנה emit illum: Sive obtemperando, ut Prov. XV. 32. At audiens increpationem, acquirit קנה sibi cor, conf. Prov. I. 5. Sive laborando seu industriam adhibendo, ut Prov. IV. 5. קנה Acquire sapientiam, acquire intelligentiam, ne obliviscaris. Sive redimendo seu liberando ut Exod. XV. 16. Donec transiret populus iste קנה [quem] possidisti seu acquisivisti, ut explicat Pagn. in Lex. Targ. Donec transiret populus iste, quem redemisti. Sive educando, ut Zach. XIII. 5. Non sum Prophetas, sed vir colens humum ego sum, quia humo paravit vel comparavit (nim. educando, ut quidam exponunt) me à juventute & c. Deinde cum ex acquisitione sequatur Possessio, [Illud n. quod jure emptionis vel alio modo acquisivimus, postea possidemus] significat etiam hæc radix possidere, in potestate sua habere, vel etiam simpliciter habere.

S. 9. Vocula verò קנית quinquies in S. L. legitur (α) h. l. קנית אשה את יהוה ubi acquisitionem per generationem, vel etiam succedaneam possessionem, ex generatione ortā. notat, quod patet, tum ex antecedentibus, idque triplici indicio, quia primò Adam dicitur cognovisse Hevam uxorem suam: deinde Heva ipsa, ex hac conjugali cognitione, dicitur concepisse, & demum etiam Cainū peperisse legitur. Tum ex verbis, quia nihil aliud continent, quam summam Evæ de partu novo latitiam, ejusque certissimam, de partu hujus contra Diabolicum serpentem, fiduciam. Quia igitur Eva de partu loquitur, etiam verbum hoc non nisi de acquisitione per generationem.

generationem est intelligendum, cum verba secundum substratam  
 materiam sint intelligenda. Tum ex consequentibus, ubi rursus  
 dicitur peperisse fratrem hujus infantis, sc: Abel. (ε) Gen.  
 XLVII. 23. Dixit ergo Joseph ad populum הן קניתי אתכם  
 היום ואת אדמתכם לפרעה Ecce emi (frumento sc:) vos hodie  
 & terram vestram Pharaoni. (γ) Ruth. IV. 9. At ille (Boas) majoris  
 natu & universo populo: Testes vos, inquit, estis hodie  
 כל קניתי אתכם quod omnia emerim (ex consanguinitatis  
 & affinitatis jure) que fuerunt Elimelch & Chelion & Mabalon,  
 eradente Naemi, & Ruth Moabitidem, uxorem Mabalon, in u-  
 xorem sumserim. (δ) ibid. קניתי לי איש Ruth [hoc jure] e-  
 mi mibi in uxorem. (ε) Eccl. II. 7. קניתי עבדים Possedi (vel  
 acquisivi per generationem ex vernis, per educationem) servos  
 & ancillas, multamq; familiam habui.

§. 10. Unicum adhuc producimus locum, in quo etiam hujus  
 radicis usus satis emphatice occurrit, in alia quidem persona,  
 in eadem tamen conjugatione, etiam in eodem tem-  
 pore, & in eodem numero, nimirum Proverbior. IIX. 22.  
 יהוה קני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז: Dominus possedit  
 me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à princi-  
 pio. Hæc possessio non est extrinseca, sed intrinseca, non est pos-  
 sessio per emptionem, sed per generationem. Multo minus in-  
 telligitur possessio per creationem, ut olim voluerunt Ariani, eam-  
 que ex LXX. Interpp. versione, ubi legitur ἐκτίσθαι, probarunt. Sa-  
 pientia divina enim non est creata, neque creatio fuit ante cre-  
 ationem, antequam quicquam Deus faceret à principio, neque  
 creatio ab æterno est constituta, antequam terra fieret &c. que  
 omnia de Sapientia divina h. l. exprimuntur. Quod igitur vo-  
 cabulum Prov. IIX. 22. de æterna generatione Sapientie divinæ  
 usurpatur, illud apud Mosen Gen. IV. 1. ad humanam Messie nati-  
 vitatem applicatur.

§. 11. Vox (2) שׂוֹן Virum. De hac voce notamus. (1) Originem.  
 De hac originatione non una est omnium sententia. Alii sta-  
 tunt שׂוֹן derivari ab שׂוֹן sonnit, ut observat Franz. de Interpret.  
 Script. Orac. 51. p. 465. Ratio hujus derivationis est, quia viri est lo-  
 qui

qui & seipsum defendere. Non n. alio vir indiget curatore vel oratore, præsertim si cum foemina comparetur: vel etiam, quia per se sonat, & principalis est in familia persona, quæ non aliunde sonet, aut nomen accipiat, quod itidem de uxore verum est, quæ in alterius potestatem & familiam transit, & gentilitiû suum nomen cum mariti nomine commutat. *Alij* deducunt à rad.  $\text{U}$  quod *essendi* significationem habet, quia vir essentia prior est muliere. Præterea autoritate, dignitate, gloria & existimatione antecellit & inter honoratiores numeratur, ut apud Latinos *Viri*, & apud Germanos nomen *Mann*. *Alii* à rad.  $\text{UUN}$  *coassavit firmiter*, fundavit firmiter, unde nomen  $\text{UUN}$  *fundamentum*. Est n. vir fundamentum familiæ, cum sibi associet uxorem & ex ea generet liberos, itemque certos & servos & ancillas, tanquam rei familiaris instrumenta conducatur. *Alii* deniq; statuunt vocem  $\text{U}$  esse primitivam, cum hautquaquã sit necessum, omnium vocabulorum certam esse derivationem; habet n. unaquælibet lingua sua primitiva vocabula. Dist. tamẽ est inter *allusionem rei significata consentaneam*, & inter *derivationem nature vocis propriam*: inter *cognata*, & inter *primitiva*. Ad hæc cognata etiam pertinent ea, quæ ex græca producuntur lingua,  $\text{iq} \text{u} \text{s}$  *robur*,  $\text{iq} \text{u} \text{e} \text{w}$  *viribus* & *potentia valere* &c.

12. (2) *Significationem*. Vox a.  $\text{U}$   $\text{N}$   $\text{o} \mu \omega \nu \acute{o} \mu \omega \text{s}$  dicitur, & variis modis in S. L. adhibetur. Sumitur a. (1) *in sensu usitato*, & *Virum* significat, tum *in genere*, sine certæ conditionis respectu vel ætatis, unde modo *puerum*, modo *juvenem* &c. notat; tum *in specie Maritum* significat ut *Gen. III.* & aliis infinitis in locis: tum *generalissimè* sexum indicat, in quacunque etiam sit animantium specie. (2) *in sensu Metaphorico*, pro eo, qui *virili animo præditus est*, & *strenuum atq; magnanimum* significat e. g. *I. Reg. II. 2.* *Fortis esto, & sis U*  $\text{N}$  *in virum* seu vir, h. e. pium, fortem, strenuum atque magnanimum te gerito, sicut v. 3. explicatio subjicitur. Sic distinguuntur filii  $\text{U} \text{N}$  à filiis  $\text{U}$  h. e. filii hominis à filiis viri, seu plebeji à magnatibus, pauperes à divitibus *Psal. XLIX. 3.* Ita etiã *Psal. IV. 3.* *Esa. II. 9.* *Prov. II. X. 4.* *Viro* s.  $\text{U} \text{N}$  opponitur  $\text{U} \text{N}$  seu *Homo*, cum hæc vox *vilitatis*,

*entis, fragilitatis & contemptus* notionem quandoq; obtineat  
*Psal. CXVIII. 6. CXLIV. 3.* (3) *in sensu Ironico.* Ita *Dn. D. Glass.* ex-  
 plicat locum *I. Sam. XXVI. 15.* *Nonne vir es tu?* quod David iro-  
 nicè Ducem Abner sit allocutus, h. e. strenuè scil. te gessisti :  
 Bistu nicht ein Tapffer Mann? (4) *in sensu synecdochico,* pro  
 quolibet homine, sine respectu ad sexum ut *Psal. I. 1.* *Beatus* וְיָן  
*homo,* non n. soli viri exclusis foemellis hac beatitudine fruun-  
 tur. Item *Psal. XXXII. 1.* *Pf. CXII. 1.* *Jer XVII. 5. 7.* *Joel. II. 7. 8.*  
 &c. Præterea alias etiam habet significationes. Sic quando ad  
 familiam seu ad domesticos refertur, *Patremfamilias* significat.  
 Interdum *collective* accipitur de *universitate,* ut *Judic. XIV. 19.* *Et*  
*percussit ex eis* וְיָן אִישׁ *triginta virum* (h. e. viros) & *cap. XV.*  
*15.* *Percussit mille* וְיָן *mille virum* [i. e. viros] id observante  
*Pagnino* fit pro more nominum numeralium: quæ si pluralia  
 sunt, & præcedunt, singulare sibi adseiscunt: sin singularia,  
 plurali junguntur. Sic etiam exponitur per *Quisq;*, *Quilibet,*  
*Unusquisq;* &c.

13. Hoc loco & illud observare licet, quod vocabulum וְיָן  
 quater in præcedentibus capitibus & quinta vice hoc loco sit  
 repetitum. Bis *in statu integritatis,* bis *in statu corruptionis:*  
 priorum locorum alter agit de hominis creatione *Gen. II. 23.* ubi  
 Adam dicit: *Hoc nunc os ex osibus meis, & caro de carne mea,*  
 & *hæc vocabitur* וְיָן *vira,* וְיָן *quia de viro sumpta est.*  
 alter agit de hominis creati ad sobolis procreationem ordinatione,  
*v. 24.* וְיָן *Quamobrem relinquet homo Pa-*  
*trem suum & matrem, & adhaerebit uxori suæ. Et erunt duo in*  
*carne una.* Posteriorum locorum alter agit de viri per mulierē  
 seductione, *c. III. 7.* *Et mulier tulit de fructu illius, & comedit, dedit-*  
*que* וְיָן *viro suo, qui comedit: alter de mulieris punitione*  
*v. 16.* *Multiplicabo arumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore pa-*  
*ries filios* וְיָן *& ad virum appetitus tuus.* Quin-  
 ta demum vice hic ad reparationem applicatur וְיָן  
 : וְיָן ut hic etiam locus prioribus correspondeat.

14. Vox (3) וְיָן punctatur cum *Tzere,* quando destituitur  
 linea *Makkaph,* quando v. eadem virgula afficitur, cum *Segol*  
 no-

notatur. Excipiuntur tamen quædam loca, quæ habent *Tze-  
re*, licet adsit linea *Makkaph*, ut *Hiob* *XLI.25.* & *R. David* notat  
tria, ubi *Segol* est sine *Makkaph* *Psal. XLVII.5.* *Prov. III. 12.* *Pf.*  
*LX.2.* licet quidam excusi codices aliter legant, Est a. particula  
communitè articulus accusativi, notans personam pati-  
entis. Et hoc quidem certum est ex communi Hebræorum con-  
sensu. Idem *B. Luth.* observat de *Utr. verb. David. t. 8. Jehn. Germ.*  
*p. 157. f. 6.* Das Ebreische Wörtlein *Eth* heist/den oder die / und ist  
ein Artikel Accusativi, wie das alle Grammatici bekennen müs-  
sen. Als da *Moses* im ersten Cap spricht: Im Anfang schuff  
Gott *Eth* Himmel und *Eth* erden/das heist deutsch/den Himmel  
und die Erden / Und immer so fort in dem folgenden Capitel:  
Als *Adam* erkennet *Eth* *Eva* sein Weib/ *Heva* gebahr *Eth* *Cain*.  
Item Weiter gebahr sie *Eth* *Abel* seinen Bruder. Item *Adam*  
zeuget *Eth* *Seth*: *Seth* zeuget *Eth* *Enos* und so fort an. Eben-  
der Weise nach spricht hie *Heva*/da sie *Cain* gebohrn hatte/*Cain*  
*thi* *Jsch* *Eth* *Jehova*, *Jch* hab den Mann frigt den *Herrn*/denn  
sie hoffet (Wie gesagt) *Cain* solle der Same sein / der von Gott  
verheissen war/der Schlangen den Kopff zu zutretten. *Vid. p. 158.*  
*De reliquis ἔθ' ἄν significatis Vid. Glass in Gramm. S.*

15. (4) Vox יהוה consideranda (1) quoad derivationem. De  
hac multa sunt autorum dissidia. Alii statuunt vocem *Jehove*  
omnem penitus respuere derivationem. Sic n. *Weidner. judæ-*  
*us conversus tract 2. p. 195.* Cum consideramus nudam Dei essentiã,  
ab omni operatione semotam, nequaquam erit ei nomen derivatum,  
sed unum tantummodo, quo ejus essentia velut balbutiendo designe-  
tur. Nullum autem apud nos nomen est non derivatum, præter  
tetragrammaton יהוה quod est שם המפורש i. e. nomen expositum  
absolutè. R. Concedimus, quod aliud nomen Dei sit absolutū,  
alia sint respectiva: Illud, quod essentiæ appellatur, hæc v. quæ  
ab operibus suam accipiunt originationem, ut *Creator*, *Conser-*  
*vator* &c: Concedimus pariter, quod non eadem sit nominis  
absoluti cum respectivis derivatio. Illud intrinsecam obtinet  
significationem, hæc v. extrinsecam sortiuntur relationem. Un-  
de d. hoc etiam indicatur his verbis: *Dictum est in capitulis*

R. Eliezer, quod cum adhuc mundus non esset creatus, erat Deus sanctus & benedictus, & nomen ejus tantum. Ubi animadvertendū est, quod omnia hæc Dei nomina derivata sunt, & post mundi creationem inventa, quia omnia ab aliquibus operibus, in mundo inventis, denominantur. Porro Nomen Jehova sumitur vel formaliter, pro ipsa significatione, seu essentia Dei in se absolutè considerata, & sic nullam admittit derivationem, cum absurdum sit, velle Dei essentiam aliunde derivare: vel materialiter, pro nuda voce, quatenus ex certis constat literis & syllabis, ita derivationem certam non respuit.

16. Alii ex Rabbini statuunt, Venerandi hujus nominis יהוה derivationem à nobis nesciri, neque ulla ratione posse investigari, cum sit essentielle Deo. Essentialia a. Dei nemo in hac imbecillitate indagare vel potest vel debet. Verum sicut ea, quæ occulta sunt, neququam curiosius sunt scrutanda, ita quæ Deus hominibus manifesta fecit non sunt neganda vel negligenda, sed grata mente agnoscenda. Habemus a. in sacra Philologia non obscura derivationis hujus argumenta, quæ citra ullam necessitatem non sunt abjicienda. Unde iterum distinguimus, inter studiosam & religiosam Nominis Jehovæ translationem, & inter curiosam atq; supersticiosam essentia divinæ scrutationem. Hæc prohibita est & culpabilis, illa concessa & laudabilis.

17. Tertio Oleaster existimat, hoc nomen יהוה potius derivari ab הוה quod significat perniciem, interitum, contritionem, Exod. VII. 16. הוה על הוה Contritio super contritionem, quam ab הוה quod significat Esse, quia cum illo majorem habeat convenientiam. Verum (1) hæc sententia nova est, nisi igitur prægnatissimam adduxerit rationem, nullum inveniet locum, cum nova plerumque soleant esse suspecta. (2) contorta est, quia pluribus primum hic explicationibus foret opus, quomodo Deo hujus vocis significatio possit appropriari. (3) Natura vocis contraria est. Nam vocabulum Jehovæ est nomen proprium, Deo a. proprie hautquaquam convenit, perniciem vel interitum esse. Deinde est nomen essenziale: quis a. Deo essentiam, à pernicie

nicie derivatam, tribueret? Et cum alia longe convenientior  
ad sit etymologia, cui & vocis sonus & ipsa significatio respon-  
det, in eadem potius acquiescimus, quam ut novam admittere  
velimus. (4) Vox יְהוָה non est primitiva, sed derivata, unde  
rectius illi videntur derivationi consulere, qui ad ipsam radicem  
accedunt.

18. Alii vocem יְהוָה ad radicem הוה referunt, quia hujus  
nominis propria sedes dicitur esse Exod. III. & quia essentielle  
Dei nomen etiam ab ejusmodi radice, quæ ipsum *Esse* signifi-  
cat, descendere videtur. Non repudiamus hanc sententiam,  
tum quia maxima harum vocum est cognatio, tum quia fre-  
quens est hujus radicis in loc. cit. de essentia Dei usurpatio, tum  
quia facilis est literarum Jod & Vav permutatio, tum quia eadē  
est significatio, quæ non nisi essentiam Dei importat, tum de-  
nique, quia Magni nominis Viri eandem proponunt.

19. Ea v. derivatio, qua vocabulum יְהוָה derivatur à rad.  
הוה omnium videtur esse optima, & convenientissima, partim  
si ipsam radicem consideres, quæ est in usu Gen. XXVII. 29. Neb.  
VI. 6. quoad formam propriam, & Job. XXXVII. 6. Eccl. XI. 3. cum  
N loco ה quoad formam Chaldaicam; partim si literarum conve-  
nientiam spectes, quia hic adæquatus consensus erit consonan-  
tium, si modo Jod reliquis more nominum propriorum præfi-  
gatur; partim si significationem attendas, quia radix הוה itidē  
*Esse* significat, & hanc ipsam *Essendi* significationem derivatis  
suis communicat; partim si derivationis proprietatem observes,  
quia ea dicitur omnium optima, quæ est simplicissima; At ta-  
lis est ea, quæ vocem יְהוָה ab radice הוה deducit. Unde eandē  
præferunt Buxtorff. Avenar. Pagnin. Vid. Adm. Rev. Dn. D. Calovius  
in Theol. nat. & Revel. p. 243.

20. (2) Quoad pronunciationem. Hanc non tantum Rabb. ne-  
garunt, sed etiam multi alij viri Celeberrimi ipsos hac in re  
sunt secuti. Unum hic instar omnium adducimus Drusum, qui  
in lib. 10. præteritorum supra N. T. ad cap. XIX. 12. Apoc. ita de no-  
mine Jehovæ scribit: *Eo labor, ut existimem salva conscientia ne-  
minem pium, Deiq; metuentem eo uti posse. Primum, quia corru-  
ptum est ex lectione corrupta. Deinde, quoniam impium ac bla-*

*phemum quid sonat, ut si quis Deum perniciosum vocet. Nam HO-  
 VA perniciosus. Tertio ac postremo, quia cognationem & affinitatem  
 habet cum Jove gentilium: Jehova, Jove, Jovi, Jovis, quod anti-  
 quum est pro Juppiter. Docent a. nos litera sacra, a talibus religiosè  
 abstinendum esse, dicente Prophet a: Non usurpabo nomina eorum  
 labiis meis. Quocirca Deus apud Hoseam non vult vocari à Synago-  
 ga, uxore sua, Baali, marite mi, sed <sup>U</sup> Vir mi quia maritus Ba-  
 al vocatur communi nomine cū idolis. Baal n. est Juppiter: unde Baal  
 Phegor, Juppiter Phegorius: Baal Zebub, Juppiter Musca: Syri di-  
 cunt Beel, unde Beel Zebul, Juppiter stercoreus. Nam Zebul stercus,  
 Sed & Baalim vocant idola, quasi Dominos. Quo respexit Apostolus,  
 cum ait multos esse *κυρίους καὶ δεσπότας*, Syria n. abundabat Diis  
 falsis, cujus pars aliqua erat Judea, de qua Jeremias Prophet a: juxta  
 numerum urbium tuarum Diitui Juda. Hæc Clariss. Drusius.*

21. Verum pace tanti viri dicimus, quemlibet Christianum  
 salva conscientia voce Jehovæ uti posse. Quod n. Deus reve-  
 lavit, & Spiritus S. in S. L. consignavit, illud à quolibet pio,  
 Deumque metuente pronunciari potest. Vocem a. Jehova in  
 S. L. extare, nulli est dubium. Quod attinet primum de lectio-  
 ne corrupta, non admittimus, cum ex divinæ providentiæ in-  
 fallibili certitudine Scripturam S. integram & incorruptam sci-  
 amus. Neque n. hoc nec sum est, huic vocabulo peregrina-  
 adscribere puncta, nihil in Sacris Literis adulterini,  
 nihil peregrini est, quia hæc omnia Deū ipsum autorem haberēt.  
*Alterum quod concernit, non videndum est quid sonet exteri-  
 us, sed quid significet interioris vox Jehovæ: illam v. derivationē  
 ab יהוה non admittimus Vid. tb. 17. Nemo igitur Deum perni-  
 ciosum dicit, nec blasphemiam committit, qui Deum Jehovā  
 esse confitetur, quia hæc assertio tantum in Etymologia funda-  
 tur, quæ cum falsa sit, nihil probare potest. Deniq; nec ultimum  
 nostram sententiam infringit, cum dist. inter affinitatem & i-  
 dentitatem: item inter religiosam huius vocis confessionem, quæ fi-  
 delibus fuit propria, & inter supersticiosam ejus applicationem, quæ  
 ab idololatricis gentilibus est tentata. Item inter legitimum  
 vocis usum, & inter illegitimum ejus abusum. Gentiles etiam voce  
 Patris, Verbi & Spiritus sunt abusi, num a. propterea horum vo-  
 cabulorum nullus apud Christianos debet esse usus, nulla eo-  
 rū*



rum pronuntiatio? Et quis nescit, vocem *Dei* supersticiosa idololatriæ apud gentiles fuisse domesticam, qua tamen voce bona, imò optima conscientia infinitum Numen exprimimus. Quod attinet citata dicta, dist. *inter tempora V. & N.T.* itemque *inter Israelitas ad superstitionem & Idololatriam proclives, & inter veros atq; constantes divini Numinis cultores.*

22. [3] *Significationem.* Ubi notandum est, quod vox יהוה, nō tantum significet *realem promissionum adimpletionem*, ut vult *Crellius Photin.* Nam hac ratione solam veritatem *Dei* vox *Jehova* exprimeret, nullamq; ad *essentiam* respectam haberet. Huius a. sententiæ *Crellianæ* obstat (1) *vocis origo*, quia ab *Esse* deducitur, *essendi* igitur, non vero *promittendi* vel *promissiones implendi* *significationem* immediatè complectitur. (2) *Vocis hujus conditio.* Est enim nomen *essentiale*, & *proprium Dei*, unde non potest ad *nudas promissiones* applicari, sed potius propter *essentialem suam significationem & proprietatem verā* etiam *essentiam* in portat. [3] *Hujus Vocis à reliquis distinctio.* Licet n. alia nomina certa videantur notare attributa aut effecta, hoc tamen nomen *tetragrammaton essentialis* dicitur *significativum*, & hoc modo aliis omnibus præfertur, aliisque *contradistinguitur*. [4] *Nominis hujus appropriatio.* *Nomen Domini Tetragrammaton*, inquit *Weidner p. 189. est Deo maximè proprium & peculiare inter omnia nomina divina, & propter hoc de nullo dicitur, nisi de Verbo Deo.* Si autem vox *Jehovæ* solam *promissionum significationem* importaret, aliis etiam *communicabilis* foret, quia apud homines etiam valet illud *vulgatum: Omne promissum cadit in debitum.*

23. Dicimus igitur, quod vox יהוה ipsam *Dei essentialiam* significet. Probamus hoc [1] *ex Vocis derivatione*, quia radix ejus יהוה ipsum esse significat. Jam a. derivata primitivorum suorum *significatione* observant. (2) *Ex cognatorū cōsideratione.* Cognata talia leguntur *Exod. III. אלהים אלהים אלהים.* Hæc a. verba non *nudā promissionē* important, sed ipsā *Dei essentialiā* notāt. *Adm. Rev. Dn. D. Calov. l. d. p. 255.* his verbis demonstrat (α) *Sūmā Dei substantialitatē* (β) *Absolutā Dei incōmutabilitatē*, qua idē ille ipse est, quod est semperq; de se profiteri potest, *Sū quod sū, Ero qui ero.* (γ) *αὐτοσίαν & αὐθὺπαρξίαν divinam.* (δ) *Simplex Dei esse &c.* Vid. ibi plurima. (3) *Ex. vocis hujus conditione:*  
quia

quia est nomen Dei proprium. Proprium a. Dei nomen est es-  
sentia nomen, quia Deus, quicquid est, essentia est. Bernh. l. 5.  
de consid. ad Eugen. Deus est, quod est, id est, suum ipsius & omnium  
aliarum rerum esse ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammo-  
do solus est.

24. Deinde notamus, quod vocabulum יהוה sit nomen so-  
li Deo proprium. Hanc thesin B. Gerhard. in Isag. disput. disp. 3. de  
N. D. & attributis Div. seq. rationibus confirmat. (1) Ex ipsius Dei  
appropriatione: quia Deus ipse sibi soli nomē cōvenire docet E-  
xod. III. 14. c. VI. 23. Esa. XLII. 8. Jer. XLIV. 26. (2) Ex sanctorum homi-  
num locutione: quia hoc nomen Jehova uni & soli Deo, ceu  
proprium attribuunt. Exod. XV. 3. Psal. LXVIII. 5. Esa. XLIX. 2. c.  
LIV. 5. Jerem. X. 16. c. XXXI. 35. Ose. XII. 6. & c. ubi præ aliis obser-  
vat locum Psal. LXXXIII. 19. Quia tu nomine tuo Jehova solus tu.  
(3) Ex oppositione: quia nomen Jehova, quando Deus vel crea-  
turis vel idolis tribuitur, ceu proprium κειμήριον & privilegiū  
Deo tribuitur I. Reg. XII. 21. Mich. IV. 5. (4) Ex nominis hujus E-  
tymologia & significatione: quia soli vero Deo competit illud,  
quod per nomen Jehova denotatur. Ipse n. est αὐτὸς αὐτός, so-  
lus vere ὄν, summum ens & c. (5) Ex nominis hujus propria Natu-  
ra & ratione; quia est nomen proprium, & formatur à rad. יהוה  
secundum formationem nominum priorum, per literam  
Jod: hæc enim nominibus propriis plerumque præmittitur, ut  
in יהוה יצחק & c. Sic præterea nullum habet pluralem nume-  
rum, quod itidem nominum priorum est κειμήριον: nunquā  
ponitur in regimine, non admittit ׀ Emphaticum & c. (6)  
Ex perpetua Scriptura usurpatione: quia hoc nomen absolute,  
positum nunquam & nusquam ulli rei, præterquam soli Deo, in  
Scriptura tribuitur. (7) Ex Scriptura interpretum testificatione,  
tam Patrum, quàm Rabbiorum.

25. Enjedinus quidem cum aliis Photin. & fanaticis se huic  
thesi opponit in expl. loc. V. & N. T. scribens p. 25. Jehova nomen  
& appellatio non soli, ut isti ajunt, Deo Creatori, verum etiam  
multis rebus creatis attribuitur, sicut plurima testimonia ostendūt:  
Arca fœderis vocatur Jehova Num. 10. 35. c. 32. 20. Deut. 12. 7. Jos. 24.

11. Reg. 6. 2. Ps. 24. 3. & c. Jerusalem Jer. 33. 16. Ezech. 43. 35. Altaria quedam Ex. 17. Jud. 6. 24. Mons ille, ubi sacrificandus erat Isaac Gen. 22. 14. Iudices & sacerdotes Deut. 19. 17. & c. Verum quod hæc falsa sint, ex locorum inspectione patescit.

26 II<sup>l</sup>. Deniq; *Sensum* hujus dicti classici aggredimur, de quo tot sunt sententiarum divortia, quot ferè sunt capita. Primò a disquisitione hic est opus: Num Eva hic de Caino sermonem instituerit? Multi, non tantum inter Judæos, sed etiam inter Christianos Interpretes hic affirmativam tuentur sententiam, sed argumentis nituntur ficulneis, ut ex discursu patebit. Nos negativam defendimus hac vice unico argumento: Q. non est Jehova, de eo h. l. Eva non loquitur. At Cain non fuit Jehova. Ergo etiam de eo non est locuta. Major probatur, quia disertis verbis Jehova hic filius nuncupatur. Minor est certissima, ex subsequentiis versiculis. Nec obstat, quod Eva de primogenito suo sit locuta, qui præter Cainum non fuerit alius. Dist. n. inter objectum sermonis directum & indirectum: directe ad eum, qui futurus erat Jehova respiciebat, licet indirectè Cain fuerit objectum hujus confessionis. Item inter ipsam confessionem, & ejusdem applicationem. Hæc, non illa ad Cainum pertinet. Deinde neq; hoc obstat, quod hac ratione Eva graviter erraverit, Dist. enim est inter errorem in rei substantia, & inter errorem in rei circumstantia.

27. Deinde disquiritur: Num Eva hanc suam confessionem de futuri Reparatoris seu promissi seminis nativitate ediderit? Aff. tum ex perpetua miseriam lapsus recordatione, tum ex constanti promissionis conservatione, tum ex emphatica verborum consideratione: וְאִיבָה אִשָּׁה בֵּינָהּ וּבֵין הָאֱשֵׁרָה: Et inimicitiam ponam inter te & semen mulieris hujus וְאִשָּׁהּ cum ה' emphatico; tum & radicis קָנָה propria significatione & appropriatione, tū ex Jehovæ appellatione & c.

28. Cum vero potissima controversia sit de sensu particulæ ה' hic pariter non omnes, sed potiores explicationes exhibemus, LXX. redd. ἐκ τῆς ἀμύνης ἀνδραποῦ διὰ τῆς θεῆς, quos secutus est *Vulgatus*: Possedi Virum per Deum. Verum licet hæc interpretatio explicatione certa posset illustrari, tamen textui neutiquam est consentanea. Particula ה' apud Hebræos non est nota causalitatis, sive causam principalem, sive ministerialem intelligas, sed potius accusativi est articulus, unde non per præpositionem διὰ vel per, sed per articulum est exponenda; cum tales præpositiones diversissimum sensum sæpius inferant. e. g. Si quis in versiculo i. verba ista (וְהָאִשָּׁה חָוָה וְהָאָדָם יָדַע אֶת חָוָה אִשָּׁתוֹ) ita vellet explicare: Et Adam cognovit per Evam uxorem suam; hic sane sensus foret absurdissimus.

C

29. Ali



29. Alii, ut *Calvinus*, in *Dativo* exprimunt *וְיָקִים* *Virum Domino*. Verum particula *וְ* non est nota *Dativi*, sed *Accusativi*, ut testantur *Grammaticorum* observationes. Non igitur citra causam à consveta & regulari explanatione est recedendum.

30. Alii, ut *Mercerus*, *Drusius* & *Rivetus*, *וְ* pro *וְ* exponunt. *Targum Onkelos* reddit: *Posedi virum coram Domino*. *Munsterus*, *Piscator*, *Tossanus* & *Paræus*, à *Domino*, *Lutherus* in *Comm. super Gen. Virum Domini*, quam tamè explanationem postea correxit, ut *th. 14.* ejus verba allegavimus, ita quidem ut nullam aliam interpretationem vel admiserit, vel admittere voluerit, quam quæ textui & regulis *Grammaticis* esset consentanea. Ita inquit: denn das diß Wörtlein *Et* heisse den oder die / und eine nota *accusativi* sey / das ist überweise / überzeuge / bekand / von allen *Ebreisten / Jüden* und *Christen* in allen *Grammaticen*.

31. Hanc ultimam *B. Lutheri* explanationem in textu esse fundatissimam apparet [1] ex *Grammaticarum regularum conditione*. Hæ n. sunt ordinariæ, adeoq; quæ illas observant, ordinem verborum attendunt, quæcunq; v. ab his recedunt, extra ordinem vagantur: nim. in his omnibus, in quib; firmissima & apertissima acceptio non habet locum. Imo ubique & semper *Grammatica* est attendenda, nisi ex necessitatis casu eam relinquere cogamur. Particula *וְ* ex *grammaticorum* observationibus & statutis ordinariè est nota *accusativi*; ubique igitur & semper est retinenda, nisi aperta vel necessitas vel absurditas eam dimittere jubeat. Et quid aliud sunt regulæ *Grammaticorum*, quam firma ex omnium, vel plerorumque exemplorum, aut ad minimum potissimorum exemplorum inductione extructa axiomata. Hanc igitur exemplorum analogiam temere rejicere non debemus.

32. [2] Ex *linguæ Hebrææ consuetudine*, Non n. videndum hic est, quid vel *Calvino*, aut alio videatur *Interpreti*, cujus omnino est officium, exactè *linguæ Hebrææ* indolem observare, & verba, prout jacent, explicare, non v. alienum aut peregrinum sensum verbis aut phrasibus applicare. Cum igitur ista *lingua* suas certas habeat notas, quibus casus solet à casibus plerumque distingvere, & lectori certum sensum exprimere, nostrum est, hanc consuetudinem non negligere, sed potius particulam *וְ* ex *linguæ* proprietate per *Accusativum* exponere.

33. [3] Ex *exemplorum presentium multitudine*. Ne n. extranea & longius petita exempla hic producamus, in præsentem tantum capite subsistere libet, in quo

HA. 22

quo vicies & semel hæc partic. repetitur (1) *Et Adam cognovit* אָדָם יָכַח [2] *Et concepit & peperit* קָיַם וַיֵּלֵד (3) *Et dixit* וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים. Hæc sūt primi versiculi exempla, quæ adeo clara sunt, ut extra dubitationis aleam sint posita. Mirum igitur est, tales adhuc interpretes reperiri, qui cū præsentissimum videant hujus particulæ usum, de significato tamen ejus adhuc disputare velint, & à propria significatione recedere, ut præconceptam tantum hypothesin stabilire queant. (4) v. 2. *Rursumq; peperit* וַיֵּלֵד וַיֵּלֵד (5) וַיֵּלֵד וַיֵּלֵד Habemus hic in vers. 2. iterum duo hujus significationis exempla, quæ consultò Spir. S. adhibere voluit, ut locus controversus qs. in medio consisteret, & duo veritatis testimonia immediatè ante se præmitteret, duo verò alia immediatè post se relinqueret, ne ullum amplius dubium superesset. Conf. v. 11. ubi bis repetitur, v. 12. 14. 15. 17. ubi iterum bis repetitur, in v. 18. quatuor reperitur, v. 20. 22. Deniq; in vers. penultimo bis, & in ultimo semel legitur. Tantus est numerus exemplorum in hoc uno capite, neque ullum hujus significationis dubium datur vel contrarium exemplum. Merito igitur in hac nostra sententiâ acquiescimus.

34. (4) *Ex reliquarum explicationum varietate.* Cum n. plus uno verum esse nequeat, hoc sane certissimum erit, in uno demum acquiescendum esse. Reliquas a. explicationes si lustramus, & leviori saltè censura examinamus, diversitatis causa nulla erit alia, quam quod ab hominibus sint invetè, quod ex textu non sint allatæ, sed in textum ipsum illatæ, ita quidem ut analogiæ non tantum priorum versiculorum, sed etiam totius capituli sint contrariæ.

35. (5) *Ex curiosa reliquarum explicationum conquisitione.* Modo n. volunt esse ellipticam hic locutionem, eamq; extraneis & ad rem nil facientibus exemplis illustrare satagunt. Sed quid opus est figuris, quando omnia sunt plana & perspicua? quid opus est ellipsi, quando omnia sunt integra? *Alii*, qui per varias præpositiones particulam exponendam esse contendunt, iterum aliunde sibi auxiliares conscribunt copias, cum domesticas nullibi inveniunt. Sed miles unus indigena ut pluribus præstat alienigenis, ita unum argumentum insitum pluribus conquisitis fortius stringit. Peregrino non opus est auxilio, quando domesticis abundamus præsidis. In textu nostra sunt fundamenta, non extra textum curiosè & scrupulosè inventa.

36. (6) *Ex explicationis nostræ simplicitate & certitudine.* Explicatio quo est simplicior, eò videtur esse melior. Nam quo magis est picta, eò magis est ficta. Fucus nativè pulchritudinis est pernicies, simplex color naturalis sanitatis testis. Nos verba simplicissimè explicamus, & prout simplicitatis id



tenor requirit, interpretamur. Nihil textui addimus, nullam ellipsin fingimus, nihil eidem detrahimus. Moses inquit: קניתו איש את-יהוה id nos de verbo ad verbum exprimimus. *Acquisivi virum Jehovah.* Si enim aliter legendum vel etiam intelligendum fuisset, Spiritus Dei etiam alia verba hic nobis revelasset. Et hæc sententia adeo certa est, ut semper sibi constet, neque ullo pacto possit labefieri, cum omnia verba suum simplicem sensum retineant, nec ullam mutationem recipiant.

37. (7) *Ex sententia huius præ reliquis prerogativa.* Non explicabimus hæc nostris, sed Viri Celeberrimi & in lingua sacra versatissimi Dn. D. Helvici verbis. Ita n. ille in *Vindic. loc. V. T. p. 70.* Etiam si posset locum habere talis expositio, qualem adversarii afferunt, tamen quia hæc ex constructionis tenore pro divinitate Messie contra Judæos tam pulchre fluit, indignum est Christiano, Judaicū potius sensum amplecti, quam eum qui gloriā Christi illustrat.

38. (8) *Ex Chaldaica Paraphraseos & antiquorū Rabb. interpretatione.* Nam in Chaldaica Paraphrasi Jonathanis non solum Articulus Accusativi perspicuè exprimitur, sed etiam ad Angelum Jehova h. e. ad ipsum Messiam applicatur. Et Adam, inquit, cognovit Hevam uxorem suam, quæ erat desiderans illius Angeli, & concepit & peperit Cainum & dixit: *Adepta sum Virum Angelum illum Jehove.* Alii, ut ex Cabala antiquorum *th. 4.* adduximus, ita explicarunt hæc verba: *Accepi Virum Quatuor literarum i. e. Jehovah.* Sic *Comment. super Gen. 4. 25.* Posuit mihi Deus semen aliud pro Habel: *Dixit R. Tanbuma,* quod scil. venturum est ex alio loco. Et quodnam est illud nomen? Est Rex Messias. Rursum *Gen. 19. v. 32.* *Dixit R. Tanbuma:* Non hic scriptum est, vivificamus ex Patre nostro filium, sed semen. Illud sc. semen, quod erit veniens de alio loco. Et quodnam illud est? Est Rex Messias.

39. (9) *Ex phraseos Biblicæ observatione.* Est n. hic appositio quædam, quando Eva dicit; *Acquisivi virum Jehovah.* Ipsa n. scriptura appositionem exprimere solet per particulam וְ inter duo nomina positam. Recenset talia exempla Dn. D. Helvic in *Desid. Evæ p. 9.* *Jerem. XVI. 13. Gen. XXVI. 34. Ezech. IV. 1. I. Reg. XI. 22. I. Sam. XV. 4. 18. Gen. XXII. 2. c. XII. 16. II. Sam. III. 14. II. Reg. XVIII. 12. II. Par. XIII. 9. Jer. XXXII. 21. II. Sam. VII. 7. II. Par. XI. 2. II. Sam. V. 2. II. Sam. XXIV. 4. c. XIV. 21. Gen. XLIX. 1. Psalm. CXLVII. 11. Gen. XVII. 8. Judic. III. 28. Ps. 84. 4. &c.* In his omnibus locis occurrit Appositio, ita quidem ut particula וְ non priori sed posteriori tantum nomini jungatur, & sic medio loco ponatur, quod etiam fit in Evæ confessione. Præprimis a. laudat dictum *Is. XVII. 13.* וְ עִבּוּ מִקּוּר מִיַּם חַיִּים אֶת-יְהוָה *Derliquerunt fontem aquarū*  
viva

vivarum E.T.H. Iehovam, quod cum presenti plane coincidat, & neutiquam per Cū, Coram, A, Per explicari possit: Imò nec genitivum habere locum ostendit, cum neque  $\text{כִּי}$  neq,  $\text{בְּ}$  in statu regiminis sit positum. Unde Schindlerus hanc regulam in suo lexico constituit: *Articulum כִּי quando inter duo nomina ponitur, illa per appositionem coniungere.*

40. (10.) Ex Adversariorum confessione. Ipse n. *Paraus*, licet hanc nostram oppugnet sententiam, negare non potest, particulam  $\text{כִּי}$  COMMUNITER esse notam Accusativi. Unde concedere cogitur, hanc interpretationem esse ex usitata significatione & proprietate hujus voculae desumptam. *Rivetus* etiam super *b.l. Exerc. XLII. p. 210.* scribit: *Certum est, particulam כִּי ut plurimum esse notam Accusativi casus, quem verba transitiva regunt.* Si igitur communiter & ut plurimum est nota Accusativi, pragnantem & satis firmam afferant causam, cur non hic eandem debeat significationem obtinere.

41. Huic nostrae sententiae se opponunt multi ex *Calvini* sectatoribus, ut suum Patriarcham ab omni *καυδοζήλας* suspitione liberare queant. Primum a. ipse *Calvinus* hanc explicationem NIMIS SUBTILEM vocat. Verum sine ratione subtilitatis speciem sibi fingit *Calvinus* sapientiae sectator. Nos ita argumentamur. Quaecumque explicatio (1) est grammatica (2) consuetata (3) immediata (4) ex vera connexionem & constructionem orta (5) & constat usitatis atque vulgariis verbis, usitato pariter utitur sensu, illa non est subtilis: quia subtilia solent esse figurata, inusitata, singularia &c. nec subtile est, quod a quolibet, etiam plebejo, percipi potest. At de nostra explicatione verum prius, quia (1) omnia verba grammaticè explicat: (2) consuetam significationem retinet, cum nullum verbum aliam, præter consuetam, significationem habeat: (3) oritur ex immediata acceptione, ut non opus sit aliorum dictorum cumulatione: (4) observat simplicem connexionem & constructionem: (5) neque ullum verbum est, quod non saepius in scriptura occurrat, quem sensum apud scriptores Biblicos usitatum etiam hic firmiter retinemus. Ergo nullius subtilitatis accusari potest. Vid. *ib. 36.*

42. Hunc igitur subtilitatis calvum censorem meritò reprehendit *B. Hunnius* in *præfat. super Artic. Trin. & in Calvin. Iudaiz. pag. 13.* Huius verò patrocinium suscepturus *Paraus* in *Comm. Gen. p. 640.* dicit: *Tanquam rei nimis infirmum argumentum esse ex Grammatica, quod nec historia congruat, nec fides, & à Iudæis facile eludatur. quo se nostri dent turpiter.*  
Egre-

Egregius certe hyperaspistes tanti Censoris, qui incidit in scyllam, dum vult vitare charybdim. Non n. subtilitatis nostram explicationem postulat, sed *infirmi- tatis* eam accusat. Rationem dat hanc, quia *fit ex Grammatica*. Hæc n. verba omninò videntur causam infirmitatis continere, nostramq; sententi- am suspectam reddere. Argumentum foret tale: Quicquid est ex Gram- matica, seu quod argumentum est ex Grammatica, illud est infirmum. Ne- gamus hoc, cum Grammatica non sit causa infirmitatis, sed firmissimæ pro- bationis, quando nim. textum accuratè considerat, connexionem ordinat & membra singula rite applicat. Non a. ignoramus, Grammaticam esse in- strumentum tantum & realia non esse excludenda, sed conjungenda, non tamen ea infirmitatis probandi est causa. Imo dist. est inter *explicationem exegeticam si textualem*, & inter *probationem apodicticam*. Non agitur hic primò de firma quadam alicujus articuli fidei probatione, sed immediatè a- gitur de vera textus hujus explicatione & applicatione. Necessum enim est, ut prius textum aliquem intelligamus, quam eodem ad firmam alicujus con- clusionis probationem utamur.

43. Deinde dicit, quod *historia non congruat* hæc explicatio. Sed falsum hoc est, unde etiam nullo hic ulus est fundamento Pareus, quo suam asser- tionem nobis certam redderet. *Contrarium* potius elucescit ex tota Mosis historia, quod illa apertissimè explicationem nostram confirmet vid. *th. 2.* Porro *excipit*, quod *fidei non congruat*; hoc licet itidem falsum, tamen hoc præsentis non est instituti, de fide disputare. Deniq; quod *facile eludatur à Judæis, adeoq; nostri sedent turpiter*. Utinam a. Calviniani se turpius hant darent Lutheranis, nos non haberent contradicentes. Sed quomodo in multis judaizent, & argumentis & exemplis domesticis hætenus fuit con- firmatum. Deinde dist. inter *jus & factum*. Eludantur etiam alia V. T. di- cta, eaq; certissima: à Judæis eluditur & rejicitur totum N. T. num igitur nec in V. nec in N. T. aliquid certi vel firmi? Paræo forsitan, nobis neutiquam. De- niq; dist. inter elusionem *veram & apparentem, accommodam & inaccommodam, Biblicam & Judaicam*. Nos tales Judaicas elusiones tanti æstimamus, quã- ti Calvinisticas exceptiones, cum in utrisq; nullum scripturæ lateat funda- mentum.

44. *Rivet* super h. l. in *Comm. Gen. Exerc. 44.* nostrã etiã reprehendit ex- plicationem his verbis: *Sunt qui id ita asseveranter pronunciant, ut aliter sen- tientibus Christianis dicam judaismi non vereantur scribere, & verba Evæ sic cõ- strui debere contendunt: Acquisivi virum Jehovaham.* Recte a. illud à nobis fi- eri,



eri, probo ex ipso Riveto [1] quia alias scriptura foret ambigua, & quidem in tam apertis verbis, nisi certus esset hujus dicti sensus, cum omnes interpretationes locum habere nequeant. Hęc a. nostra omnium simplicissima & certissima, adeoq; verissima, ut supra probatum. (2) quia certum est, partic. **FN** ut plurimum esse notam Accusativi casus, quem verba transitiva regunt. Nos igitur in illa communi & recepta significatione constanter persistimus. Licet a. aliter posset explicari, tamen à posse ad deberenon V. C. multo minus à posse ad esse consequentia valebit. (3) Quod *Judaismi* facit mentionem, eo ipso pungit B. Hunnium. Verum facile hanc accusationem Rivetus omittere potuisset, si vel B. Hunnii mentem, vel ejus verba accuratius inspexisset. Ipse n. scribit in *AntiPar. super h. l. p. 155. De hoc loco (Gen. IV. 1.)* *lis mota non esset Calvino, si in reliquis sanus esset, & ut alii faciunt interpretes, suam simpliciter sententiam citra reprehensionem aliorum. Quoniam a. more suo cavillatur sententias aliorum, ferat hoc præmi, ut in suos labores legitime animadvertatur. Neq; ego illum introduxi judaizantem [hoc notandum contra Rivetum] ob hęc unum locum, qui dissimulari poterat, ni tantus aliarum depravationum esset cumulus, ut omnino fuerit de iis Christianus Lector admonendus. Item hoc veritati non est consentaneum, quod B. Hunnius Calvinum simpliciter judaismi accusaverit, ut vult Rivetus; habemus n. ejus rei interpretem ipsum Autorem in præfat. Calvin. Judaizant. p. 4. ubi ex præfat. super artic. de Trin. hæc repetit verba: Non accuso Calvinum Arianismi (Judaismi) sicut Gravius impudenti ore me immerentem teterrimæ hujus hæreseos accusavit, Dico a. ansam præberi, viam sterni, fenestram aperiri, fundamenta poni Ariane [Judaicæ] impietatis, dico quendam parari transitum, tot Scripturæ S. testimoniis, seu præsidis atq; propugnaculis Christianorum concussis & everfis & c.*

45. Rationes Riveti contra nostram explicationem petite sunt [1] ex Drusii observatione. Cum n. nostram sententiam ex Paraphrasi Jonathani, Fagio, Forstero, Luthero recitasset, pergit: *Et Valentinus Schindlerus, vir doctissimus, hanc regulam in suo lexico statuit, Articulum FN, quando inter duo nomina ponitur, illa per appositionem conjungere, citatq; h. l. Acquisivi virum Jehovã. Sed bene animadvertit Drusus, id usu venire, quando articulus FN in utroq; nomine repetitur, ut in eod. cap. 2. v. 2. הכה תהיה תהיה תהיה τὸν ἀδελφὸν αὐτῆς τὸν ἀδελφόν. Et Zach. II. כֹּנֵן תִּהְיֶה לְךָ הַקֶּשֶׁת תְּהִי עִי τὸν ῥάβδον μετὰ τὸ κάλλος, baculum meum decorem. Itaque ut locum haberet interpretatio illa, dicendū fuisset יהיה תהיה תהיה Verum dist. inter observationem adequatam &*

in.



in adequatam, universalem & particularem, Drusii observatio non est adequata, universalis & perpetua, ut *th. 39.* dictum.

46. (2) *Ex Eva hallucinatione.* Præterea pergit, si Eva hoc mysterium cognitum fuerit, nempe incarnationis ipsius Dei, non potuit etiam ignorare, mysterium illud tale esse debere, ut mulier sine viri opera conciperet filium, præsertim si hoc ipsi notum fuerit, quod illi putant, ex oraculo de semine mulieris, intellecta muliere pro virgine. Itaque nunquam ita hallucinata fuisset, ut existimaret eum, qui Deus erat ab æterno, venturum esse in mundum. & assumpturum carnem ex cohabitatione viri cum muliere &c. Hæc & alia proponit ibi Rivetus, quod nim. hæc sententia videatur saltem in Cabala apud Reuchlin. fundata, de qua *th. 4.* diximus: quod à Mercero sit reprehensa, & tanquam coacta ab eo iudicata: quod receptæ apud Iudæos & Christianos communiter versiones & Paraphrases sensum illum ferre non possint: quod in veterum Christianorum Commentariis ejus sententiæ vestigium nullum appareat, in ijs etiam, qui ex professo adversus Iudæos disputarunt: quod nullo argumento, præterquam grammatico illo, fulcire nostram sententiam possimus; hoc a. quam leve sit, ex eo patere, quod propositionem universalem pro fundamento subternere non possimus; nempe, ubicunq; reperitur articulus *ante* aliq. nomen, esse notam accusativi casus, cum propositio universaliter accepta, sit falsa, particulariter v. sumpta, fiat ridicula: quod nulli magis Judaismum & Arianismum juvet, quam ijs, qui hac & similibus sententiis utantur, & nullam faciant argumentorum delectum, sed quicquid possint, ad suas pertrahant copias: quod Eva imponendo nomen filio suo primogenito suam testari voluerit gratitudinē &c. Hæc & alia longe plura, quæ de Emphatico hoc dicto hoc loco explicari & examinari possent, Disputationis exercitio relinquimus, & in **JESULO NOSTRO** thesibus his finem imponimus.

**SOLI DEO GLORIA.**



01 A 6640


ULB Halle 3  
003 108 309



Sb.

VD 17







60. 61

IN NOMINE JESULI RECENS NATI !

**FESTUM NATALITIORUM  
CUM FIDELI OMNIUM**

VIVENTIUM MATRE EVA,  
EX PRIMA CONCIONE ET CONFESSIONE GE-  
NETHLIACA, GEN. IV, I. DE POSSESSIONE VIRI  
JEHOVÆ INSTITUTA,  
PHILOLOGICA HAC EXERCITATIONE

*Celebrant*  
**P R Æ S E S**

**M. JOHANNES Deutschman/**  
Facult. Philos. Adjunctus  
ET RESPONDENS

**BALTHASAR BENDELIUS.**  
Brandenb. Marchicus.  
*Die 28. Decembr. In Auditorio Minori Horis Matut.*

---

*Witteberge, Ex Officinâ Johannis Flaken, 1654.*

